

impendat, q̄ huiusmodi electio sit tam libera & secunda, hoc autem specialiter iurent D  
 rectores & consules huius ciuitatis fideliter obseruare. Et quicumq; istam libertatem,  
 tutelam aut fecerit aliqua qualiter impediuerit, fraudem circa eam fecerit, aut quan-  
 tum in eo fuerit non obseruauerit, cuiuscunq; dignitatis, status, ac conditionis exis-  
 tat, omni cessante priuilegio, eo ipso sententiam Imperialis banni incurrat, perpetuo  
 sit infamis, nec ei unquam portæ dignitatis pateat, nec ad aliquod officium publicum  
 admittatur: quin immo omnibus feudis, ac alijs bonis quæ à Romano tenet lupio, sit  
 ipso iure priuatus. Ciuitas autem seu uniuersitas Constantiæ, nisi consules & rectores  
 prædicta obseruauerint, aut si contra ea uenerint, eo ipso banno Imperiali subiaceat,  
 & omnibus priuilegijs & libertatibus & gratijs Imperialibus seu regalibus sit peni-  
 tus destituta. His autem perlectis, dictus dominus Carolus facta pulchra collati-  
 one cum thernate, facta est cum angelo multitudo militiæ cælestis & c. per legit sc̄es  
 dulam de renunciatione papatus nomine dicti domini Gregorij in forma sequenti.

Luc. 1. b

¶ **Carolus renunciat papatu procuratori nomine domi-  
 ni Gregorij duodecimi.**

Ego Carolus de Malatestis, Arimini & nonnullarum aliarum terrarum in tem-  
 poralibus uicarius, necnō prouinciæ Romandiolæ rector pro sanctissimo in Christo  
 patre, domino Gregorio diuina prouidētia papa XII. et sancta Romana ecclesia ḡna-  
 lis, atq; eiusdem sanctissimi domini nostri papæ procurator, habens ad infra scripta  
 plenum speciale & irreuocabile mandatum, quemadmodum constat per bullam au-  
 thenticam sanctissimi domini nostri prædicti proxime lectam, nulla oppressus aut  
 coactus uiolentia, aut nullo ductus errore, ut omnibus apte pateat per effectum, quan-  
 ta sinceritate, quantaq; cordis affectione sacram unionem & reintegrationem Chris-  
 tianorum in unitate sanctæ matris ecclesiæ profecutus fuit, profecuturq; per uiam  
 etiam renunciationis inclusiue, pure & libere & sincere, procuratorio nomine ip-  
 sius sanctissimi domini nostri Gregorij papæ XII. in nomine patris & filij & spiritus  
 sancti renuncio & cedo expresse in his scriptis, realiter & cum effectu, iuri, titulo &  
 possessioni, quod, quem, & quam ipse habet in papatu, & resigno nomine præfati dñi  
 nostri papatum & omne ius papatus, titulum & possessionem, quod, quem, & quam  
 habet coram domino nostro Iesu Christo, qui ecclesiæ suæ sanctæ est caput, & spon-  
 sus in hac sacrosancta synodo & uniuersali cōcilio, sanctam Romanam & uniuersalem ec-  
 clesiam representante. Quaschedula lecta, archiepiscopus Mediolanensis respōden-  
 do ad prædicta, legebat in hunc modum:

Sacrosancta generalis synodus Constantiensis in spiritu sancto legitime congrega-  
 ta, uniuersalem ecclesiam catholicam representans, cessionem, renunciationem & re-  
 signationem pro parte illius domini qui in sua obedientia dicebatur Gregorius XII.  
 iuri, titulo & possessioni, quod, quem, & quam habuit in papatu, uel si quod, quem,  
 uel quam nunc habuit in papatu, nunc per magnificum & potentem dominum Ca-  
 rolum de Malatestis hic præsentem, eiusq; ad hoc procuratorem irreuocabilem, pro  
 eodem domino qui dicebatur Gregorius XII. factas, admittit, approbat, & collaudat  
 in nomine patris & filij & spiritus sancti, Amen. Post hæc autem cantato, Te deum  
 laudamus, a sæpe dicto archiepiscopo Mediolanensi legebatur sequens capitulum:

¶ **Quod requiratur Petrus de Luna autoritate concilij ad cedendum.**

Sacrosancta generalis synodus Constantiensis & c. Cum in Romana ecclesia du-  
 dum grauis & pestilens exorta scissura, humani generis inimico procurante, innum-  
 merabilia Christiano populo attulerit detrimenta, quibus obuiandis ac p̄ reintegrationem  
 merabilia fabricæ catholicæ quamuis multa quaesita fuerint remedia immensis laboribus, so-  
 licitudinibus & expensis, inter quæ præstantius & ualidius toti penè Christianitati  
 dudum & nup̄ etiam huic sacro concilio uisum sit, cessionem & renunciationem pa-  
 patus